



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XII. Item alia miracula post obitum S. Ottonis secundum ordinem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

colorem per tua sancta merita recipere meruero; mox mirum in modum sanguinis ille riuus stetit; vulnus constrictum, cicatrice obductum est; puer conualuit; viam ad sancti sepulchrum cum matre aggressus est. Vbi verò filua, quæ terminum Thuringiæ facit, emensa est, ille laboris & doloris (nam exsanguis erat) magnitudine, terræ affusus deficere cœpit. Tunc mater, amicis illum ad propria renocare suadentibus, mœrore confecta; *hinc, non regrediar: Sed quo proposui etiam exanime corpus, ait, prosequar.* Ad hanc vocem, veluti inuisibili quadam subleuaretur dextra, homo surrexit, & iter, quod cœperat, non sine admiratione multorum, incunstanter perfecit, veniensque coram sepulchro viri Dei, omnibus curationis illius testis sui ipsa cicatrix fuit.

*Alia miracula post obitum S. Ottonis facta.*

CAPVT XII.

**A** Pud Thuringiæ castrum tam antiquitate, quam munitione famosissimum; cui *Erburda* nomen est; quidam ex equestri ordine paterfamilias, tanto coxarum dolore torquebatur, vt vim interni doloris magnitudine vix explicare posset continui laboris; cumque remotioris secreta cubiculi, quietis gratia, expeteret, vocem cuiusdam audiuit, quæ eum cum voto ad tumbam viri Dei venire admonuit. Ille, vbi vouit, cœlestis votum medicina secuta est. nam omnis, quo vexabatur, dolor, recessit; & eos, quos prius cruciatibus suis tristes reliquerat, versa vice, de recepta sospitate secum gaudere, & ipse gaudebat. Mox itinere arrepto, ad sepulchrum sui curatoris peruenit; vbi multos curationis suæ testes, qui iam illum, fama volante, præuenierant, inuenit.

℥ 2 Ftem

*Item aliud miraculum.*

**V**er quidam de vicina parochia Etzelkirchen ita longa ægritudinis molestiâ contractus erat, vt genibus, neruorum contractione, pectusculo concretis, neque à lecto surgere, neque ad ali- quod opus naturæ sine alterius auxilio se posset erigere. Hic ad memoriam beati Viri à parentibus circa festum S. Michaë- lis delatus, inter Missarum solennia, multis, ex more, festiuita- tis gratiâ, confluentibus, vbi tumbam tetigit, cum subito fra- gore membrorum, omni compage artuum, qua ligabatur so- lutus est: ita incessum, & aliorum officia membrorum ex in- tegro recipiens, in Abbatis obsequio, in monumentum suæ curationis in popinarum ad vsq; deseruit officio.

*Item aliud miraculum.*

**N**eque hoc prætereundum puto, quod in eadem ciuitate celebre factum multorum memoria ha- betur. Paupercula quædam, dum media hyeme, circa noctem, hospitium passim quæreret, & nul- lus petenti pateret introitus; iuxta Ecclesiam S. Martini, sub pheretro, cum infante masculino se proiecit; vbi vi algoris ex- stincta est. Diuinâ autem providentiâ, ciuis quidam, cuius vxor eâdem nocte defuncta est, dum ad exequias pararet phe- retum, leuauit, mortuam reperit, sed infantem ad vbera ma- ternâ miserabiliter pendentem semiuiuum inuenit. Ille, hu- manum casum miseratus, cadauer loculo imponens cum v- xore sua sepeliuit, & paruulum ipsum, quasi adoptiuum pro remedio defunctæ coniugis educauit. Piæ autem voluntati diuinæ pietas cooperatâ est.

Nam idem puer ætate accrescens, maturitate sensus pue- riles annos excessit; vt quamuis claudus, & pænè omni mem- brorum ordine distortus, ita prouidus esset & circumspectus, vt Dominus domus vbicunque negotia acturus exisset, de prouidentia ipsius ac fide, maneret indubius. Dominica igitur

zur Pafsionis, dum omnes, vt obseruantia dierum illorum exposcit, ad Missarum solennia effluxissent; focaria, quæ præparandis cibis sola domi remanserat; insultare seruulo cœpit. *Quid, inquit, miselle, acturus eris, si Dominus tuus excesserit, de te, quid putas, erit?* Ille ex alto suspiria trahens, *nescio, ait; sed Deus sancti Ottoni adiuuet me.*

Mirum dictu; adhuc nomen Ottonis erat in ore, cum subito, toto corpore prostratus, quasi manu quadam inuisibili perlibutus, naturalem formam quam ortus negauerat, accepit, se ipsum miratus, gressum attentauit, brachia & manus extendit, & cum in nullo se impeditu sentiret, ad Ecclesiam beati Martini peruolat, Domino suo se ostentat: Omnes clamorem cum laudibus pro miraculo in se facto ad cœlum leuare excitat. Sequenti die, exhortatione ac præcepto sacerdotum, ab utroque sexu diuersæ ætatis Cruces leuantur, Mons S. Michaëlis, Mons ille Deo placitus ascenditur, ubi, præcedente ipso curato, summa cum gratulatione laus & gloria Deo refertur.

### *Item aliud miraculum.*

**R**es, quam dicturus sum, apud nobilissimum castrum Duringæ gloriosè celebrata, fama vbique percurrente, pœnè vt facta, ad nos delata fuit.

Materfamilias eiusdè castri tam virtute, quam nobilitate famosissima filium sororis suæ, qui matri ita vt vnicus, ita & amantissimus erat, vnicè nutrebat; quam tota familia vt solam spem posteritatis & hæredem omnium affectuosissimè diligebat. Clypeus auratis laminis & clauis affixus parieti fuit. Paruulus autem iuxta morem suæ ætatis, vni clauorum, qui sibi fulgentior videbatur, totis alludendo manibus, euellere attentauit; quem, ubi à seruulo, à quo in vlnis portabatur, flendo, vt pueri omnia extorquere solent, accipit, diu in eo ludens, ori immisit. Qui ita fortiter gutturi eius infixus est, vt nulla arte vel ingenio extrahi posset. Infantem

pallefcere, oculos miserabiliter torquere, manibus & pedibus palpitare, dolor videre fuit. Concurrunt familia; domus tota in fletum ducitur, clamor luctuosus attollitur, paruulus iam desperatus super limen Ecclefiæ solus componitur.

Inter hos luctus Marchio; qui tunc fortè aderat, anhelus accurrens, omnes ad inuocationem sanctiffimi Othonis fideliter exhortari cœpit. Incredibilia fortè, sed Deo non impossibilia dicturus sum. Ad nomen beati viri claus ille cum multo sanguine dehiante ore pueri prolapsus est; & omnium vna vox antè tristis, nunc in gaudium mutata, & lætitiâ, Saluatoris laudabat clementiam. Hoc ab ipsa matrona, dum ad nos cum multa turba venisset, ita factum esse, cognouimus. In huius comitatu ille puer cum Patre aduenit, in quo triduanus fluxus sanguinis per inuocationem S. Othonis, vt præfatum est, constrictus fuit.

*Item aliud miraculum.*

**I**N monasterio virorum Dei Lanckhemensi contractus quidam de mensa Abbatis stipendia accipiebat. Iste fama beati Othonis vbique peruolante, ad ciuitatem Babebergensem reptando non sine graui labore, magno tamen desiderio & spe sanitatis peruenit: Vbi ab honestioribus Ecclesiæ illius Canonicis collectus, aliquandiu demoratus est. Quadam autem die, cum aliis multis, quos eadem opinio sanctitatis & gratia sanitarum è diuerso contraxerat, Montem beati Archangeli ascendens, ad sepulcrum viri Dei suffragia ipsius, vocibus, quibus poterat, cum lacrymis prolixus postulabat. Vbi verò ad Missarum solennia ventum est, dextera sancti viri contracta sibi membra perliniri fiducialiter expetiit: qua tactus, mutatione dextere excelsi; solo prostratus, terribili fragore, vinculis neruorum solutis, cum magno stupore & admiratione omnium erectus super pedes suos stetit erectus.

Con.